

## DE PANTHEISMO.

§. I.

Quandoquidem neminem inter Numinis cultores numerare oportet, nisi qui simul Deum mundi Dominum & opificem, eundemque a creaturis distinctum admittit, non possumus non in atheorum classem referre Benedictum de Spinoza, natione Judæum, qui religionis, cui innutritus erat, desertor, Christianus quidem videri voluit, sed ingenii haut infœcundi commentis nimium indulgendo, Deum cum natura ipsa confundebat.

§. 2. Etenim primus atheismum in systema redigere tentavit in Ethica, quam methodo geometrica adornavit, sequentem de Deo sibi formando conceptum, videlicet unam modo substantiam in rerum natura dari, eamque absolute infinitam, cuius modificationes haberi debeant reliquæ res activæ & inactivæ. Hanc vocat DEUM, quo simul patet, omnes res secundum ipsum esse in DEO, tanquam in suo subiecto, Deumque esse omnium rerum causam, ut vocant, immanentem, ita ut omnes res particulares, quæcumque sint, ex essentia Dei necessario fluant. Imone quis de impia ipsius sententia dubitare possit, huic suo fæctio DEO omnem libertatem denegat, eundemque ex naturæ suæ legibus necessario agere statuit.

§. 3. Quod autem impia hæc Spinozæ opinio non ab ipso fuerit excogitata, verum quod plurimi diversarum sectarum Philosophi inter Chal-